


originate qli in hac vita in dem.

par. s3 nō potat pfiā in m





enigmata q̄t̄ in hac vita uident̄.

par. s̄ nō potat̄ p̄fic̄ in m̄ u

INDEX

Materiarū Alphabeticū.

A.
De Actionibz in factum. nō. i. 2.
Estimare per jūr. in litem. 18.
Accrescendi jūre. 22. 23.
Actionū conciliatō. 40.

F.
De infamā acty. n. i. 2.
facto & jure. 20. 21.
facti & juris ignorantia. 21.
fideicomis. partic. 29.

C.
Canonū Pontif. iniquitate. 37.
Conjugū successio. 36.
conciliatō actionum. 40.

H.
Hereditū substitutio. 15.

D.
De Divisiō & individuis obligatō. n. 12.

De Donationibz in grā & spēs. 32.
Donatio simplici m̄a v̄v̄s. 33.

J.
De jurisdictione. n. 3.
interesse. 16. 17.
jūrej. in litem. 18.
jūre accrescendi. 22. 23.
jūre publico. 38.
individuis obligatō. 12.
ignorantia j. & facti. 21.

L.
De Legatis

no.
29. 4.

O.
De Obligatio Verbis. ii.
Obligatio Divinis & indivi-
uis. 12.

M

P.
De Prescriptis Verbis. n. i. 2.
Pactis in criminalibus. 6.
Pactis. 9. 10.
ad l. qd. d. R. C.
Pignoris puelat & fiduciaris
ad l. 9. qui pot. 19.

X

R
Negalibus. 39.

S.
Stipulatio Divinis & indivi.
13.
Substitutionibus. 14. 15.
Successoribus instati. 34. 35.
conjugum. 36.
in bono priore creditor. 19.

T.
De Transactionibus ad ^{n.} 5. 7.
1. 18. C. in criminalibus. 6. 8.
Testamentis. 24. 25. 26. 27. 28.
30. 31. 35.

P. 138.
Ka

V. U.
De Verbis prescriptis. 1. 2.
verborum obligatorum. 11.
Ultimis Voluntatibus. 24.

alb. enigmata q̄si in hac vita uidentur.

par. s̄ nō totat p̄ficē intin

I.

DISPUTATIO
DE
PRÆSCRIPTIS
VERBIS ET IN FACTUM
ACTIONIBUS

Quam

A. A.

Authoritate & consensu Magnifici & Amplis-
simi Jctorum ordinis in Illustri
Salanâ

PRÆSIDENTE

Amplissimo atq; Excellentissimo Viro,

DN. ORTOLPHO FOMANNO,

J. U. D. eximio, ac Professore celeberrimo, nec non
Dicafterij Provincialis Assessoris di-
gnissimo:

*Publicè in Jctorum auditorio discutiendam
proponit*

Ad diem 25. Jul.

JOHANN-GEORG von Brandenstein.

J E N Æ

Typis LIPPOLDIANIS, 1607.

*Magnificis, Nobilissimis, Splendidissimis atq; præ-
clarissimis Viris,*

Dn. BERNHARDO à PÖLNITZ

*in Schwarzbach / Lindenerus & Burcharts-
dorff &c.*

Dn. WOLFGANGO à LUTTICHAU

in Rmelen / &c.

Illustrissimi ac Potentissimi Principis ac

Domini, Dn. CHRISTIANI II. Ducis & Electoris

Saxon: &c. Cancellario & Consiliariis, intimis &c.

*Dominis & Patronis suis multis nominibus
colendis.*

M

AGNIFICI ATQUE PRÆCLARISSIMI VIRI, EX EO tempore, quo serio mandatu Domini parentis ac etiam V. M. hortatu, literis addictus, adeoq; ex pulvere scholastico in arenam civilis sapientiæ graviolem detrusus sum, ac veram non simulatam illam Philosophiam affectatus, in id rota mente constitui ut exiguo aliquo operæ impensæ documento, V. M. responderem, easq; fidei meæ, quam serio astrinxi, liberatione, arctius mihi devincirem & demererer, ac spem de me conceptam consolidarem. Fuit in votis hæctenus, jam per Dei gratiam etiam in fatis, selegi enim mihi L. Naturalis de præsert: verb: ut utilissimæ, ita rotius Digesti veteris difficilimæ resolutionem, eamq; Amplissimo Jctor. Senatu annuente, unâ cum notat à Dd. publicæ discussioni subjeci, in quo quidem tenuitatem meam agnosco, utilitate tamen & difficultate materiæ me erigo. Hoc ocii literarii specimen exiguum tanquam primitias V. M. consecro, ac nuncupatim despondeo, obnixè rogans, ut illud sereno vultu admittere, nec tam ex rerum dignitate, quam dedicantis studio metiri, meque posthac, eo favore & benevolentia, quàm semper lucidissimis splendentem radiis sensi, fovere & complecti non dedignentur. Valete viri eminentissimi exoptatissimè. Dabantur JENÆ, 19. Julii, Anno 1607.

V. M.

observantiss:

JOHANN GEORG von Brandenstein

R

T H E S E S

DE PRÆSCRIPTIS
VERBIS ET IN FACTUM
ACTIONIBUS

I.

DISPUTATIO DE CONTRA-
ctibus innominatis duob. ferè
capitibus absolvitur 1. est de
natura & essentia horum contractuum
2. de effectu seu obligatione & actione
ex illis promanante.

II.

Contractus est conventio *a* cau-
sa constans. *b*

a l. i. §. 3. l. 7. in pr. & §. 3. & 4. de pact. Duaren: lib. 2. disp. 8.
Cuj: ad l. i. & 7. de pact. Donell: in rubric. C. eodem Gædd: ad
l. 19. de V. S. Hortens: in rubr. de præscr. verb. & ad l. 72. de con-
trah. emt. *b* d. l. 7. §. 2. & 4. de pact. l. 15. in fin. de præsc. verb.
Baro ad l. 7. §. 2. de pact. Hott: ad l. 7. C. de pact. Donell: ad l. 10.
n. 11. C. eodem & ad l. i. de reb. cred. Vult: ad pr. inst. de oblig:
n. 37. Forster: de pact. c. 4.

III.

Nec ergo cum hoc pactum sua natura quid commune habet cum omni causa sit destitutum.

d.l.7.& ibi Baro, Cujac: §.2.& 4.de pact.l.15. de præsc.verb: causa enim seu synallagma vel commercium ac negotium civile pactum à contractu distingvit, unde Angelus Mattheacius lib.1.de via Jur: c.6.omnem difficultatem in hoc tractatu subortam inde asserit, quod antiqui synallagma ignoraverint, sicut videre est in Alexandro, qui affirmavit nullum pactum sine causa dari ob id Æmylius Ferrettus in eum optimo jure invenitur. In illo errore versari videntur Oldendorp: clas.4.act.40. Oroscius ad l.1.de pact. Padilla ad l.5.n.19.h.t. Vasq; controvers: usu frequent.lib.3.c.59.n.9. qui pactum nudum contractibus innominatis simplicibus accensent, illudq; novè præ aliis se ponderasse Vasquius gloriatur.

IV.

Est autem contractus vel nominatus vel innominatus.

d.l.7.ubi Ferrett.Duar: Baro, Cujac:l.1.§.2.de rer.permut.l.3.C.eodem l.1.3.de præsc.verb. Loriott. tract. 17.& 18. axiom. 69.

V.

Ille qui nomen habet à specifica forma desumptum, hic qui contra.

l.1.de æstimator: act.l.1.de rer.permutat.junct.l.3.l.5.§.1. de præscr.verb.Ferret:Duar: ad l.7.de pact.Hotto: disp.de pact. n.8.Gædd: ad l.12.de V. S. & c.1.n.49.de contrah. & commit: stip:

stip: Wes: in paratit: de pact. Vult: Jurispr. Rom. l. c. 41. Pac:
in syn. de præscript: verb.

VI.

Ob necessitatem enim & conser-
vationem civilis societatis selectæ quæ-
dam conventiones sunt, & à lege nomi-
natæ ac ad agendum habilitatæ, ceteræ
juris civilis auxilio ac propria appellati-
one destitutæ, nudæ & inermes manse-
runt.

Duar: ad l. i. de pact. & tit. C. de condict. caus. dat: c. 4. Wes.
in paratit. de pact. Fernand. Vasq; illustr: contro. lib. 3. c. 59. n.
23. Vid: Connan. lib. 5. Comm: Hottom: de pact. n. 8. Loriott:
tractat. 17. axiom. 69.

VII.

Nec ex conventionem obligationem
producunt, sed tantum implementi in-
terventu.

l. i. §. 2. de rer. permutat. l. 3. C. eodem l: 7. de pact. l. 15. de
præscr: verb. Ferrett: ad d. l. 7. Cujac. in recitat. ad l. 5. h. t. an
saltem naturalem ante implementum producant obligatio-
nem, Vide Gl: in l. 27. C. de pact. Purpurat: ad d. l. 27. n. 85. O-
ros: ad l. 7. de pact. Rip: ad rubr. de V. O. Grangian: in para-
dox. c. 63.

VIII.

Circa innominatas conventiones

A 3

occu-

occupata est, Nobilissima illa lex Naturalis de præscriptis verbis, desumta ex libro quinto quæstionum Julij Pauli, in quo conventionum naturam, vim, differentias exactè rimatur,

Constat id ex l. 43. de pact. l. 6. de hered. vel act. vend. l. 7. de resc. vendit. l. 9. de serv. export. l. 45. de act. emt. l. 57. de ædilit. edict. l. 70. de eviction. l. 28. de pact. cum simil.

IX.

Et occasione pacti mutuæ manumissionis totius ob rem dati tractatum inspicit Jureconsultus & subjicit.

l. 5. in pr. h. t. vid. l. 52. l. 65. in pr. & §. 5. de condict. indeb. l. 1. de condict. ob turp. caus. l. pen. de condict. caus. dat. ubi tractatus ob rem dati explicatur Cuj: in recitat. ad l. 5. h. t. Hortens: ad d. l. 5. Oldendorp. clas. 4. act. 38.

X.

Qui consistit in quatuor articulis
1. do ut des 2. do ut facias 3. facio ut des
4. facio ut facias.

l. 5. in pr. h. t.

XI.

Ac ultra enumeratos hos quatuor, plures non inveniri J Ct^o innuit, dū toti^o ob rem dati tractatū inspicere p̄miserit.

Jaf:

Jaf: ad d. l. 5. n. 5. natura duce plures esse non posse affirmat, Cuj: Padill: ad d. l. 5. Loriott: tract. 17. 18. ax. 76. Vid: Connan. de contract. in nom. Giphon: ad l. 18. de donat. Labuntur ii qui Accurf: in l. 1. de O. & A. secuti contractus innominatos quosdam correlativos seu respectivos, quosdam simplices constituentes, simplicibus pacta nuda annumerant Bald: in c. quinta-vallis extr. de jurejur. Castrens: in l. 10. C. de pact. Oros: ad l. 1. eodem Padill: hic, Vasq: illustr. contr. lib. 3. c. 59. Oldendorp. d. clas. 4. act. 40. eosq; infinitos putent.

XII.

Si pecuniam do ut rem accipiam, emptio & venditio est, si rem do ut rem accipiam, do ut des erit.

d. l. 5. non proponitur hic regula, quod ubi pecunia datur, sit emptio, quia pretium non ex pecuniæ qualitate sed utriusque contrahentium consensu metimur, Coras: 2. miscell. 9. Duar: ad tit. C. de cond. caus. dat. c. 2. Ant: Fab: 6. conject. 10. & ita Celsus in l. ult. de cond. caus. dat. explicari potest, qui diversimodè alias exauditur, alii explicant eum ex l. 37. de V. O. l. 51. de leg. 1. ut Alciat. ad l. 2. n. 24. C. si cert. pet. Baldvin: ad §. 2. inst. de emt: Hackelm: illustr. controvers. disp. 10. alii ex l. 4. de usur. l. 11. l. 30. §. fin. de act. emt. Zaf: 2. antin. 3. Cujac: 23. obs. 29. Fach: 2. controvers. 59. Pac. cent. 3. quest. 79. Padill: ad §. 1. n. 4. Vid: Ferret: ad l. 7. §. 2. de pact. Dn. Arum. ad l. 2. C. de resc. vindit. & in tract. de mora c. 8.

XIII.

An ab hoc articulo, do ut des, permutatio usu juris differat, difficilis est disquisitionis? *a* nos nihil differre demonstrabimus. *b*

a Accurs. in l. 1. de rer. permut. permutationem & do ut des differre ut genus & speciem asserit, illam in specie hanc in genere fieri per l. 5. C. de rer. permutat. quem sequuntur Dd. Communiter. Jas. in l. 2. si cert. pet. ubi rationem novam conatur reddere ex l. 166. §. 1. de V. S. Ferret. ad l. 7. de pact. We. in paratit. hic, Vigli. ad l. 2. si cert. pet. Sich. ad l. 1. C. de rer. permut. Vult. 1. Jurispr. 41. Fab. 6. conject. 6. Heig. ad §. 28. inst. de act. *b* per l. 5. §. 1. de præscr. verb. l. 1. de contrah. emt. l. pen. C. de rer. permutat. Cuj. ad l. 5. hic Conn. 7. comm. 15. Pin. ad rubr. C. de resc. vend. part. 1. c. 3. n. 15. Padil. n. 9. Coraf. 2. misc. 15. Vaud. 1. quæst. 25. Grangian. in paradox. c. 23. & 65. Fach. 2. contro. 45. Gædd. tract. de contrah. stip. c. 1. Zaf. ad l. 2. si cert. pet. Soarez in addit. ad Gomef. c. 8. n. 5. in fin. tom. 2. var. resolut. Loriott. tract. 17. ax. 106.

XIV.

Unde consequitur permutationem esse contractum innominatum.

l. 1. §. 2. de rer. permutat. l. 3. C. eodem, rationem reddit Olandorp. cl. 4. act. 38. Vult. 1. Jurisprud. c. 41. Fab. 6. conject. 9. eleg. Gædd. ad l. 12. pe V. S. & c. 1. de contrah. stip. In contrarium abit Coraf. 1. miscell. 23. Ferret. ad l. 7. de pact. vid. Vacun: à Vacun: 1. declarat. jur. 27. Rodoginum lib. 23. c. 17. Pinell. ad l. 2. C. de resc. vend. 2. part. c. 1. Connan. 7. comm. 5. Soarez d. c. 8.

XV.

Et quamvis vicem emtionis obtineat, eiq; vicina fit *a* tamen in multis ab ea differre Jctus Paulus ait. *b*

a l. 2. de rer. permutat. l. 2. C. eodem l. fin: quib. ex caus. in posess. eat. l. 4. §. 31. de dol. mal. & met. except: l. 19. §. 5. de ædilit.

ædilit. edict. *b* l. i. per tot. de rer. permutat. l. i. §. i. de con-
trah. emt. l. i. l. 3. l. 7. C. de rer. permutat. Ferret: ad l. 7. de pact.
Cuj. in recitat. ad l. 5. Oldendorp. cl. 4. act. 38. Sichard: ad l. 2. C.
de rer. permutat. Heidecc. th. 19.

XVI.

Inter illas differentias, an ea sit, quod
in re aliena permutatio non, emtio verò
procedat, multum controvertitur: *a*
planè alienam rem dantem nullam con-
trahere permutationem Pedius ait,
quod verum est. *b*

a arg. l. 28. de contrah. emt. l. i. versic. in permut. de
rer. permutat. quæ verba assertivè accipit Heidecc. contra
mentem J. Cui, cujus discursus in pr. d. l. eò spectat, ut ex di-
versis præstationibus emtionis & permutationis discrimen evi-
dentissimum eruat & contrasentientes ab absurdo refutet,
unde etiam illa verba Ferretus ex Castrens: dubitandi causa
proposita esse interpretatur, quod ingeniosè defendit Anton;
Fab. 6. conject. 9. *b* d. l. i. §. 3. de rer. permutat. Quæstio
in eo consistit an rem alienam dans vel potius tradens contra-
hat à sua parte permutationem ad hoc, ut actionem præf. verb.
ad interess. habeat, & hoc negatur à Pedio, qui hoc casu tan-
tum conditionem caus. dat. admittit, quemadmodum ele-
ganter illum explicant. Cuj. 23. obs. 28. & in recitat. sol. ad
tit. C. de rer. permutat. Connan. l. 7. com. 5. Wes. in paratit. de
rer. permutat. Ferret. ad l. 7. de pact. Sichard. ad l. i. C. de rer.
permutat. qui tamen Cynum sequitur, & hanc questionem
pro supervacua habet Fab. 6. conject. 9. Vid. Loriott. d. tract.
17. ax. 127.

B

XVII.

XVII.

Elegans hic dubitatio suboritur, si ex una parte res & pecunia, pro re ex altera parte detur, an emt. vendit: an verò permutatio contracta censeatur? quod in dubio affirmamus.

l. 1. §. 1. & 2. de præscr. verb. l. 1. de æstimator. act. fac. l. 44. pro soc. l. ult. de condict. caus. dat. principaliter prius mens & conventio contrahentium est spectanda, siue expressa siue tacita l. 1. §. 12. de pos. l. 3. §. 1. de O. & A. l. 10. §. 4. mandat. l. 44. pro soc. quæ vel ex contractus nominatione vel rerum conjunctarum excessu vel defectu colligitur. Bart: Jaf: ad l. 1. de rer. permutat. Castrens: ad l. 18. de donat. Tiraq. de retract. §. 30. gl. 1. n. 36. Connan. 7. comm. 5. Ferrett: ad d. l. 7. Oldendorp. cl. 4. act. 38. Sichar: ad l. 1. C. de rer. permut. n. 5. Padil. n. 2. Gomef: var. resol. tom. 2. c. 2. n. 10. Pinell: ad l. 2. C. de resc. vindit. secunda part. rubr. c. 2. Heidecc. th. 38.

XVIII.

Sed si scyphos tibi dedi, ut stichum dares, periculo meo stichus erit, & tu duntaxat culpam præstare debes, & sic explicitus est articulus ille do ut des.

l. 5. §. 1. h. t. quomodo hoc sit accipiendum patet ex l. ult. de condict. caus. dat. ut docent-Duar. ad l. 23. de V. O. Cuj: 23. obf. 29. & in recitat. ad l. 5. Costall: ad d. l. fin. Don: tract. c. 7. Padil: n. 23. Alit. Coraf: 2. misc. 9. à quo non videtur alienus Gul. Ranchinus: 3. var. lect. 8. Forcatul: in necyomant. dial. 49. Belloj. 7. var. 9. in fin. Pac. vol. 2. concil. leg. cent. 5. q. 23. Ferrettus ad l. 23.

l. 23. de V. O. Cabot: 2. disp. 29. Hortens: ad d. §. 1. Grangian: in
paradox. c. 66. Fab: 6. conject. 10.

XIX.

Sequitur do ut facias si tale sit fa-
ctum quod locari soleat, pecunia data
locatio erit, si res sit, non erit locatio, sed
nascetur vel civilis actio in hoc quod
mea interest vel ad repetendum condi-
ctio.

l. 5. §. 2. hoc titulo, quæ facta sint locabilia, quæ non explicat.
Duaren: rit. C. de condict. caus. dat. c. 4. Cujac. in recitat. ad §. 2.
Donell: tract. c. 4. & 13. comm. de Jur. civil. c. 6. Padill: n. 3. Ol-
dendorp: cl. 4. act. 40. Vult: 1. Jurispr. 36.

XX.

Requirit itaq; locatio pro mercede
pecuniæ dationem, do ut facias quavis
aliare est contentus.

l. 5. §. 2. h. t. l. 1. §. 9. de pos. l. 52. de donat. int. vir. & uxor.
princ. instit. de locat. Gl: in l. 5. §. 2. h. t. Costal: ad l. 2. locat. Baro,
Baldvin: ad d. princ. de locat. Donellus 13. com. 6. Sichard: ad
rubr. C. locat. Fachin. 1. controvers. 82. Padill: n. 1. Dn. Arum:
disput. p. de contrah. emt. Alit. Coraf. 2. misc. 11. Pinellus
ad l. 2. C. de resc. vend. 2. part. rubr. c. 3. n. 29. Wes: in pa-
ratitl. de locat. Cujac: ad African: tract. 8. Bronchor: centur.
2. assert. 66. Treutl. vol. 1. disput. 29. thes. 3. Lopez. 1. ani-
madversi. 15.

XXI.

De constitutione D. Marci & Commodi ad Aufidium Victorinum, movetur hic controversia non levis *a* sed eam ad hoc genus contractuum non pertinere Cujac. monuit. *b*

a ob ll. pugnantes ex una parte l. 8. 9. qui sin. manumiss. ad libert. perven. l. 38. de liberal. caus. l. 20. §. 2. de manumiss. l. 3. l. ult. de serv. exportand. l. 1. l. 2. l. 3. l. 4. C. si mancip. ita fuer. alienat. l. 5. §. 1. de condict. caus. dat. ex altera part. l. 7. de præf. verb. l. 19. de manumiss. l. 122. §. 2. de V. O. l. 81. §. 2. de leg. 1. *b* Cuj. in l. 7. de pact. & 1. obs. 29. Vid. Duaren. Donell. Giphon. ad d. l. 122. de V. O. Jacob. Rævard. 1. var. 13. Padill. ad §. 2. n. 5. Hortens. ad §. 2. l. 5. h. t. Heidecc. th. 23.

XXII.

Sed si dedi tibi servum ut servum tuum manumitteres & manumisisti, & is quem dedi evictus est, si sciens dedi, de dolo in me dandam actionem Julianus scribit, si ignorans, in factum civilem.

d. l. 5. §. 2. h. t. juncta l. 7. §. 2. de pact. In dissolvendo hujus capitis nodo omnes laborare, sibiq; non constare Charond. fatetur 2. verisimil. 7. qui ipse an satis tutam opinionem prodat, subsisto, quamvis ab ea non videatur esse alienus Barthol. Fajus ad Connan. Accurs. ad §. 2. Julianum à Mauritiano reprehensum, postea stylum vertisse, & actionem in factum civilem dedisse utroq; casu, conjicit, ita ut dolus non actionem doli,

doli, sed fundamentum intentionis denotet, quem juvat l. 1. C. de dol. juncta l. 59. §. 1. mandat. l. 21. de evict. l. 14. §. 2. de religiof. & sumt. fun. & propugnat eum Heidecc. thef. 25. non improbabiler: Alii in specie supradicta Julianum supremas & subsidiarias actiones concessisse de dolo, & in factum prætoriam abscedente dolo, & verbum Civilem à Triboniano adjectum esse Duar. Cuj. ad l. 7. de pact. Govean. 2. var. lect. c. 27. Hortens. ad d. §. 2. qui Duarenum hoc primo notasse scribit, Wes. in paratit. de pact. quos refutat Charond. d. loc. Donell. tract. c. 19. Al. Contius 1. disp. 13. Forcat. in necyomant. dial. 97. n. 5.

XXIII.

Rectè in hac specie Julianus à Mauritiano reprehensus est, quod actionem de dolo, in factum civili adjunxerit & ejus sententia ab Ulpiano nostro comprobata est.

l. 7. §. 2. de pact. Illud constat Julianum non fuisse contentum actione præscr. verb. sed in casu quo dolus intervenit, doli actionem adjecisse, quod à Paulo in d. §. 2. refertur, in d. l. 7. à Mauritiano reprobatur, uti egregiè hoc diducit Eximius Donell: tractat. c. 19. ac probat arg. l. 5. §. 3. de R. V. juncta l. 9. §. 1. damn. infect. l. 26. §. 2. de acquir. rer. dom. Vid. Duar. ad l. 6. de V. O. Dn. Arum. disp. p. 3. th. 6.

XXIV.

Succedit articulus facio ut dies, qui omnium ingenia adeò torssit & exercuit, ut Castrensis exclamare non sit veri-

B 3 tus

tus esse disputationem de Juris apicibus, & Jurisconsultum Paulum si revivisceret laborem habiturum, ac Cynus omnes in hac difficultate ignorantes pronunciarit.

Castr. ad l. 5. §. 3. h. t. Cyn. in l. 4. C. de dol. Jaf: ad d. §. 3. Govean: lib. 2. var. lect. c. 28. Angel: Mattheac: lib. 1. de via juris c. 6.

XXV.

Ait Paulus, quod si faciam ut des & postea quam feci, cessas dare, nulla erit civilis actio & ideo de dolo dabitur.

l. 5. §. 3. h. t. Videntur hic Interpp. tum antiquiores tum recentiores familiæ herciscundæ invicem egisse: Accurs: opinio ad d. §. 2. quem sequitur ex multis Jaf: ad d. §. 2. Ferrett: ad l. 7. §. 2. de pact, Fajus ad Connan. Costal: ad d. §. 2. reprobata dudum est ab Alberic: in l. 6. C. de transact. Alciat: 6. paradox. 7. Orosc: l. 7. de pact. Padil: n. 5. Coras: 2. misc. 10. Alii ex omni contractu innominato actionem præscript. verb. concedunt, dolo tamen interveniente, de dolo dari existimant. Fulgos: in l. 4. C. de dol. Duaren: ad l. 7. de pact. Coras: 2. misc. 10. Alii ideo hoc fieri contendunt, quia hoc negotium nulla similitudine contractus nominatos attingat: Govean: lib. 2. lect. var. c. 28. Cujac: ad l. 7. de pact. & in recitat. ad §. 3. Hot: in conject. de præscr. verb. & disp. de pact. c. 9. Alit: Cont: 1. disp. 13. Loriott. tractat. 17. axjom. 142. Charond. 2. verifimil: 7. Alciat: ad l. 19. de V. S. Hortens: ad §. 3. qui sibi hunc nodum explicandum esse relictum gloriatur, Oldendorp: cl. 4. act. 40.

XXVI.

XXVI.

Nos etiam in hoc articulo actionem civilem competere ex veritate legum, cum Donello defendemus, sive dolus arguatur sive non.

l. 3. l. 15. l. 22. de præscr. verb. l. 7. §. 2. de pact. l. 4. C. de dol. mal. Donell: tractat. c. 20. Padill: n. 6. Grangian: in paradox. c. 67. Buf: 2. subtil. 4.

XXVII.

Ultimus articulus est facio ut facias, ex quo etiam non datur actio nominata sed præscriptis verbis, quamvis cum nominatis cognationem habere videatur.

l. 5. §. 4. h. t. l. 13. l. 17. eodem l. i. mandat. Cujac. in recitat. & Hortens: ad d. §. 4. Bellon: i. supput. 6. Padill: n. 1.

XXVIII.

Absoluto primo disputationis nostræ capite, sequitur secundum, nempe de effectu contractuum innominatorum, qui est actio præscriptis verbis & condictio.

l. 5. §. 1. l. 7. h. t. l. 1. l. 4. l. 5. C. de rer. permutat. Hortens: in rubr. hic: Hackelm: illustr. quæst. 10. th. 1. Buf: 2. subtil. 4.

XXIX.

XXIX.

Cessantibus enim iudicis proditis & vulgaribus actionibus cum proprium nomen invenire non possumus, facile descendimus ad eas quæ in factum appellantur, ait Papinianus.

l. 1. 2. 3. 4. h. t. Cujac. ad l. 1. Duaren. Baro ad l. 7. de pact. Donell. c. 21.

XXX.

Actio in factum generis nomen est, & in factum civilem ac prætoriam ut species comprehendit.

l. 25. §. 1. de O. & A. l. 11. præscr. verb. §. fin. instit. del. Aquil. dicitur in factum quia in factum seu rem gestam est concepta l. 6. C. de transact. arg. l. 15. in pr. ad l. Falcid. §. 1. instit. de except. Usu autem juris præscriptis verbis est in factum civilis ex contractibus innominatis prodita l. 3. l. 5. §. 2. l. 15. de præscr. verb. In factum autem absolute & proprie sic dicta, prætoriam est. prodita in malefi. vel quasi; quorum nullæ Jure Civili sunt appellationes. Cuj. ad l. 1. h. t. Donell. c. 22. Giphhan. ad l. 25. de O. & A. Hortens. in rubr. h. t. Busf. 2. subtil. 6.

XXXI.

Unde rectè Cujacius dicit, omnem præscriptis verbis actionem esse in factum non vero vice versa, quod tamen sentire videtur Donellus.

Cujac.

Cujac. in recitat. ad l. 5. & ad l. 7. de pact. Donell: c. 22.
Forcatul. dial. 97. n. 4. Sichard. ad rubr. C. de rer. permutat.

XXXII.

Est autem præscriptis verbis actio, nuda & simplex nullo proposito actionis nomine, ejus quod in conventionem deductum est, petitio, recepta in contractibus, quorum nullæ Jure civili proditæ sunt appellationes.

l. 1. l. 2. l. 3. l. 5. §. 1. h. t. l. 1. de æstimator. act. l. 7. §. 2. de pact. Donell: c. 21.

XXXIII.

Appellatur præscriptis verbis *a* incerti *b* civilis *c* utilis *d* in factum. *e*

a l. 2. l. 5. §. 4. l. 7. l. 8. l. 13. §. 1. l. 15. & c. h. t. l. 4. l. 6. l. 7. C. de rer. permutat: rationem notationis suppeditat Imperator Alexander in l. 6. C. de transact, quia rem gestam præscriptis verbis demonstrat, ita ut prius res gesta narretur, subjiciatur postea petitio, quod acutè tradit Papinianus in l. 1. in fin. de præscriptis verb. Duaren: ad l. 7. de pact. Donell: c. 21. Alciat: lib. ulti. disjunct, c. 4. Baro ad l. 7. de pact. Cujac: ad d. l. 7. & in not. instit. de locatione. Hottoman: in conject. de præscriptis verb. qui textui manus violentas admovet, & præscriptis verbis legendum contendit. Costal. ad l. 1. hoc tit. Sichard: ad rubr. C. de rer. permutat. Harmenop. lib. 2.

C

epit. 3.

epit. 3. *b* l. 6. l. 8. l. 9. h. t. l. 19. §. 2. de precar. quia persequitur
 id quod interest l. 5. §. 1. h. t. l. 68. de V. O. incerta dicitur l. 6.
 C. de rer. permutat. l. 7. §. 2. de pact. l. 3. C. de inutil. stip. *c* l.
 7. §. 2. de pact. l. 5. §. 1. l. 6. l. 15. h. t. l. 4. C. de rer. permutat. *d* l.
 6. C. de transact. ratio est in l. 5. §. 4. in fin. h. t. Vid. Cujac. Du-
 aren. ad l. 7. de pact. Donell. c. 23. *e* l. 1. l. 12. l. 22. l. 23. h. t.

XXXIV.

Consequitur inde actionem præ-
 scriptis verbis esse extraordinariam, *a*
 contraquam sentit Grangianus & Fa-
 chineus. *b*

a l. 2. §. 2. junct. l. 14. de precar. l. 6. C. de transact. si u-
 tilis, etiam erit subsidiaria l. 4. §. 7. fin. regund. l. 7. §. 6. comm.
 divid. l. 8. §. 8. ad S. C. Vellej. Donell. c. 23. & 14. comm. 34.
 Giphan. ad l. 25. de O. & A. Forster. de pact. c. 8. *b* Grangi-
 an: in paradox. c. 42. Fachin. 2. controvers: 98. quibus calcu-
 lum adjicere suum videtur Hortensius in rubr. de præscriptis
 verbis.

XXXV.

Hinc disquiritur an solum in con-
 tractibus innominatis locum habeat.

Ex juris nostri authoribus, duobus in casibus sibi locum
 vindicare,prehendimus 1. in his quatuor contract. l. 3. & 5.
 h. t. 2. in dubio l. 1. de æstimator. act. l. 17. & 24. h. t. si nego-
 tium civile ad nominatum contractum non potest reduci, vel
 ob defectum voluntatis contrahentium d. l. 1. de æstimator:
 act. l. 1. h. t. l. 44. pro soc. vel requisiti alicujus contra-
 ctus

ctus nominati l. 1. §. 2. l. 6. l. 13. in princ. l. 18. l. 19. l. 22. h. t. Vid. Du-
aren. Cujac. ad l. 7. de pact. Donell. c. 9. Dn. Arum. disp. p. de
contrah. emt. Busf. 2. subtil. 4.

XXXVI.

Ergo nec in sequestro *a* nec pre-
cario *b* nec pactis in continenti con-
tractibus adjectis competere potest *c*
nec cum ordinaria concurrere.

a l. 17. §. 5. h. t. l. 9. §. 3. de dol. l. 5. §. 1. l. 12. §. 2. de pos. Cu-
jac. Hortens. ad d. l. 17. Donell. c. 2. *b* quatenus precarium
est l. 14. juncta l. 2. §. 1. & l. 19. §. 2. de precar. fac. l. 14. §. 11. de furt.
Cujac. 4. obs. 7. & ad rubr. hic. Hortens. in præmiss. Treutler.
disput. 29. vol. 1. thes. 5. Gilbert. Reg. 1. enantioph. c. 10.
Heidecc. thes. 30. qui novam quandam precarii distinctionem
effingit. *c* l. 72. l. 75. de contrah. emt. l. 6. §. 1. l. 11. §. 6. l. 21.
§. 4. de act. emt. l. 5. §. 1. l. 12. §. 1. de pos. Alciat. 5. paradox. 1.
Cujac. ad l. 7. §. 5. de pact. Costal. ad l. 1. h. t. Donell. c. 2. qui
tamen ex parte dissentit per l. 2. C. de pact. inter emt. & ven-
ditor. Connan. 5. comm. 2. Hottoman. in conject. de
præscriptis verbis Bronchorst. centur. 1. assert. 35. Dn. Arum.
disput. p. de pact. Forster. c. 8. de pact. Heidecc. th. 30. Alit. Du-
aren. ad l. 7. §. 2. de pact. Sichard. ad rubr. C. de rer. permut. Ol-
dendorp. cl. 4. act. 40. Fachin. 2. Controv. 98. Fab. in rational.
ad l. 7. de pact.

XXXVII.

Ulterius disceptatur, an actio præ-
scriptis verbis semper & in omnibus
contractibus innominatis sit bonæ fidei

C 2

a an

a an tantum in æstimatoria & permutatione, quod verum est. *b*

a Defendit hoc Hottom : in conject. de præscr. verb. Coraf: Cisner: ad §.28. instit. de act. Horrenf. ad l.5. §.2. h.t. Busf: 2. subtil. 6. ubi ad hoc obtinendum novè ponderat text. in l. 24. de præscript. verb. *b* §.28. instit. de act. l. 2. C. de rer. permutat. l. 1. de æstimator. Zas: Donell: d. §.28. Loriott. de act. ax. 59. Costal. ad l.5. §.4. h.t. Heidecc. th. 24.

XXXVIII.

Æstimatoria est, cum res æstimata vendenda datur, ut vel ipsa res vel æstimatio ejus referatur.

l. 1. de æstimator. act. l. 44. pro soc. Zas. Mud. Heig. ad §. 28. instit. de act. Vult. i. Jurispr. c. 41. & utilis est, etsi merces intervenit ut Paulus ait l. 2. de æstimator. Vid. Cujac. ad l. 19. de præscr. verb.

XXXIX.

Elegans inde resultat quæstio, an æstimatio transferat periculum in accipientem.

In contractibus, quibus dominium transfertur, res dubitationem non habet, in aliis ut commodato &c. secus est, nisi accipiens specialiter æstimationem promiserit l. 17. §. 1. de præscript. verb. l. 5. §. 3. commodat. l. 52. §. 3. pro soc. l. 10. §. 6. de Jur. dot. l. 21. C. eodem Connan. 7. comm. 15. Costal. in l. 5. §. 2. commodat. Oldendorp. cl. 4. act. 3. Loriott. tract. 1. ax. 58. Mud. Heig. ad d. §. 28. instit. de act.

XXXX.

XXXX.

Ac ita demum J Ctus Paulus concludit, & quæstioni ab initio propositæ, de pacto mutuæ manumissionis, respondet.

l. 5. §. ult. hoc t. Cujac. Padil. Hortens. ad d. §. ult. Heidecc. thes. 30. An deducendum erit quod libertum habeo, sed hoc non potest æstimari, vide Cujac. ad l. 45. §. ult. de action. emt.

QUÆST.

*Quisnam ex duobus de feudo investitis sit præferendus, an
Et hic l. Quoties C. de R. V.
locum habeat?*

C 3

DECA-

emigmate qli in hac tuta in dem.

par. s. nō potat plic in m



DECANUS ET
CÆTERI DOCTORES
FACULTATIS JURIDICÆ
ACADEMIÆ JENENSIS.
L. S.



Um aliquando Romulus in
convivio perparum bibif-
set, dicenti cuidam; Romu-
le, si istud omnes faciant,
vinum vilius erit, respondisse fertur,
Immò carum, si quantum quisq; volet,
bibat. Nam ego bibi quantum volui.
Acutum responsum Regis in mores ho-
minum intenti. Sicut enim omnes à
labore sumus proclives ad indulgen-
dum genio & voluptatibus: ita etiam
frænum appetitui injicere, & volunta-
tem nostram in gyrum rationis ducere,
semper animi fuit magni habitum. Idq;

in

in magnis potissimum ingeniis, quæq;
à naturâ habent adjumenta ad res præ-
clarè gerendas cerni consuevit. Nam
quò magis cum impetu quodam vehe-
mentiore ad omnia feruntur, eò quoq;
difficilius est eorundem cogitationes ab
eo, quod sensibus jucundum offertur,
revocare, & à vitiis ad virtutem, atq; au-
ream mediocritatem transducere. Ad
quam rem præcipuum quidem cense-
tur esse remedium diligens disciplina,
assiduaq; à primis statim annis institu-
tio: à qua tamen quàm sæpè ad ingeni-
um homines redeant, ut alios silentio
prætereamus, testis est Cajus Caligula,
Domitianus, Maxentius Maximiani fi-
lius, Nero, quem Trajanus in exem-
plum reliquis Principibus proponens
dicere est solitus: Cunctos Principes
à primo quinquennio Neronis quàm
longissimè abesse. Ut ut verò sese res
ha-

habet, non decet nos propterea langvi-
 diores fieri, sed, quæ præ manibus sunt,
 iis utendum. Quod cum Magnificus
 Vir & Nobilissimus E S A I A S à BRAN-
 DENSTEIN Illustrissimo Principi ac
 Dno. Dno. C H R I S T I A N O II.
 Saxonix Duci & Electori &c. Dn. no-
 stro Clementis. à consilijs Secretiori-
 bus, & supremi iudicii Curialis in Ele-
 ctoratu Præses lectissimus, quâ est pru-
 dentiâ, apud animum perpendat, ma-
 nibus pedibusq; in eam curam unicè in-
 cumbit, ut filij ipsius à primis statim an-
 nis rectissimis studiis imbuantur, in quã
 rem nullis sumptibus, nullo labore, cu-
 ra, opera, studio parcat. Cui honestif-
 simo conatui ipsum D E U M adesse evi-
 denter apparet in filio ejus natu majore,
 J O H A N N E G E O R G I O à BRAN-
 DENSTEIN, qui ut hætenus ob mo-
 rum elegantiam, indolem atq; ingeni-
 um

um excellens conjunctum cum pari industria & dexteritate res summas expediendi, maximis in cœlum, quod dicitur, laudibus apud nostram Facultatem sublatus est: Sic etiam in publicum prodiens, spem atq; expectationem nostram de se excitatam ita sustinuit, ut non solum illam confirmârit, sed usq; ad admirationem omnium auditorum animos tenuerit. Tam alacriter enim, tam eruditè, tam aptè ad singula respondit sub Præsidio Clarissimi juxta & ac Consultissimi Viri Dn. ORTOLPHI FOMANNI U. J. Doctoris Professoris publici, Dicasterij Provincialis & Scabinatus Adfessoris dignissimi, in difficili juxta & confragosâ Disputatione de præscriptis verbis, ut in commendando adolescentulo, nondum decem & septem annorum commodissimè sine omni adulationis suspicione, à qua longi-

D gissi-

gissimè absumus, hoc voto non incom-
modè concludamus.

*Hos flores tuleris nondum uertente
iuuentæ*

*Vere! quid Autumno fructus spera-
bimus olim.*

*Indulgete annos superi, nec uertite
mentem.*

Jenæ Kal. Augusti Anno 1607.



Ad

I.



Ad

Nobilissimos Adolescentes,
JAN - GEORGIUM
ET
CHRISTOPH - CAROLVM
Fratres Germanos,

Generosi atq; Magnifici Viri *ESAIÆ*
à Brandenstein / in Dypurgk / Gruna / Krowitz & Knau/
Illustrissimo Principi *CHRISTIANO II.* Saxonix Ducis &
Electori &c: à Consiliis secretioribus, & judicii supremi Electoratus
Præsidis eminentissimi, Filios, Publicè de Jure in Academiâ
JENENSI summa cum laude di-
sputantes.

Extulerat cum fortè caput Sala fontis ad undas
Impositura novas leges, & jura vocatis
Equoreis Nymphis, audit te, *JANE-GEORGI,*
Et te *CHRISTOPHORUM-CAROLUM* stipante coronâ
Atq; senum atq; Virum juvenumq; resolvere nodos
Juris, ut à quoquam, Themidis qui totus in arte
Consenuit, fieri melius non possit ad ungvem;
Audit, & attonitis animis immobilis hæret
Immemor ipsa sui, sæcundi pectoris artes
Et lingua mirata decus, vix septimus illum,
Quintus at à decimo hunc, inquit, vah! cæperit annus,
Et sic ingenium atatem prævortier! hisce

D 2

DI

DI Superi aspirate ausis, date tempora vite.
 Si tales dederis plures mihi Iuppiter, haud me
 Vel Padus Eridanusve superbus vicerit unquam.
 Ille vel hic quamvis aequet sua nomina cælo,
 Pauperis atq; putet doctam numerare iuventam.

A D

Dn. CHRISTIANUM MAMPHRASIUM

MAMPHRASI, inuideamus, aut amemus?
 Hanc qui Academiam Salæ ad fluenta
 Pari hoc Nobilium facis carere,
 Fratrum BRANDSTENIUM: quid ipse cessem
 Fateri, invideo, heu, & inuidebo,
 Donec restituas salana eosdem,
 Aut huc ingenio pares & arte
 Ac etate alios simul reducas.

Johannes Svevius J. U. D. P. P.

II.

BRANDENSTENIAM sobolē solvētē ænigmata Ju-
 Audijt è cathedra Phæbus, & obstupuit: (ris
 Ipse, ait, imberbis juvenis florentibus annis
 Aonium teneo jugiter imperium:
 Nobile par fratrum hoc prope jam puerilibus annis
 Differit è cathedra, quæ decuere senes.

Macti

Macti animo juvenes, magni spes magna parentis,
Spes patriæ, generis fama, decusq; scholæ:
Quos ego jam insolitis, sed veris laudibus orno:
Mox patria ut columnen præsidiumq; colet.

*Zacharias Brendel Med. D. & Profess.
in Salana pub. F.*

III.

Inclita Nobilitas, quæ nominis hujus honorem
Jure sibi sumit, mihi quattuor esse videtur,
Singula si numeres aptè, suffulta columnis.

Prima Patrum virtus veteranaq; gloria, quondam
Sæpius in dubiis Patriæ spectata periclis:
Seu procul hinc esset nostris pellendus ab oris
Hunnus: seu Francos metuens, & Teutonibus arma
Herculeas fugeret Saracenus ad usq; columnas.

Altera magnorum Regum vox publica, magna
Debita virtuti qui præmia solvere gaudent
In signes titulos, & Nobilitatis honores.

Tertiâ si quæ sit dubites: ea propria virtus,
Et proprium cujusq; decus, seu Marte paretur
Et sagulo, seu forte togâ queratur, & arte.
Nobilitatis honos, & gloria summa: Parentum
Si pia posteritas laudes virtutibus æquet:
Quale manus addunt ebori decus: aut ubi flavo
Argentum, Pariusve lapis circumdatur auro.

Ultima priscorum vetus est opulencia patrum
 Ad sobolem translata suam, serosq̄ nepotes,
 Quam Stagivita senex addit. Sed claudus, & excors
 Sæpe viros summos Plutus malè ditat: egestas
 Nec potis est veræ tenebras offundere laudi.

Hæc ego dum modulor, subidò mihi cynthius taurem
 Vellit, & an nosti quos jam memoraveris insit?
 Hic BRANDENSTENIOS Fratres ego protinus inquam,
 His numeris designo meis: te JANE GEORGI,
 Et te CHRISTOPHORUM CAROLUM: quibus omnis
 ad unguem

Nobilitatis honos, nomenq̄, decusq̄ perenne
 Convenit. Egregios quid avos, quid multa vetustæ
 Commemorem bene gesta Domus? quid plurima nostri
 Temporis acta canam? Patriæ florentis habenas
 Saxonica vester Genitor moderatur in aulâ,
 Et præses Themidis justâ sua cuiq̄, bilance
 Dividit, & tetricas properat componere lites. (Gentis
 Quid SCHVVIBOLDE tuas, quid ISACE vir optime
 O BRANDENSTENIÆ duo lumina carmine laudes
 Enumerem? vestris populiq̄, Ducesq̄, reguntur
 Consiliis: vestram dives Thuringia, vestram
 Misnia sentit opem, sentit Voilandia tellus.

Hæc igitur generis virtus antiqua tot ante
 Secla novæ laudis tulit inclyta præmia, magni
 Præmia quæ Reges tribuunt, summiq̄, Monarchæ,
 Cælatum signis clypeum, galeamq̄, comantem,
 Et sylvas, & agros, & flumina piscibus apta.

Hæc

Hæc eadem virtus tot jam labentibus annis
 Transiit ad sobolem non interrupta paterni
 Æmula splendoris. Testes mihi vera canenti
 Vos eritis Fratres. Vix jam tria, vixq̄ tenellæ
 Lustra per egistis vitæ: Sed vivida longè
 Ante venit virtus annos, Juvenesq̄, Virosq̄
 Et tremulos post se vetulos invicta relinquit.
 Vos nuper Salici stupuere theatra Lycei
 Miscentes pulchrum mediâ certamen arenâ,
 Et dubij laqueos juris, pedicasq̄, secantes
 Ancipiti rectæ gladio rationis, & artis.
 Deniq̄, nec vobis opulencia desit. Habetis
 Omnia quæ solida sunt Nobilitatis: habetis.
 Omnia quæ teneris voveat nutricula pupis.
 Vos amat, & retinere cupit Salana, simulq̄
 Omnes, qui vestri similes sacrata Camænis
 Ocia non rumpunt ferro, neq̄, sanguine gaudent
 Ceu lupus, & furvis quæ fallit hyæna sub umbris.
 Gratulor has dotes vobis, magnoq̄, Parenti
 Gratulor, & toti patriæ: neq̄, fallor amore
 Augurioq̄, meo: si quæ bene cepta secundet
 Ipse DEUS, justusq̄, labor simul urgeat: olim
 Aereas summi scandetis honoris ad arces,
 Et BRANDENSTENIUM tolletis ad æthera nomen.

Wolfgangus Heider M. F.



IV.

IV.

PARODIA HORATIANA
ex lib. 4. Carm. Oda 3.

Quem tu summe DEUS semel
 Nascentem placido lumine videris,
 Illum non furor Africus
 Turpabit socium, non Venus impigrum
 Curru ducet Olympico
 Victorem, neq; tot facta tyrannica
 Squalentem vitiis ducem,
 Qui præcepta Patrum rideat & DEI,
 Ostendent tumidæ stygi:
 Sed quæ *Suada* suo flumine perluit
 Et dotes CHARITUM, VICUM
 Fingent Æolio carmine Nobilem.
 Et vos BRANDSTENIÆ domus
 OFRATRES gemini, lucida sidera
 Musarum atq; arbiter artium
 Dignatur soboles inter amabiles
 Doctum apponere circulo,
 Ut jam Parca minus læserit in vida.
 O sanguis bone: quam genus
 Quam formam proprio Marte beaveris.

O sanguis

O sanguis studiis quoq;
Donature, tuis si liceat, decus.
Tanti juris Apollines
Et tanti generis germina publica
Emirabitur insolens
Ætas, quæ pedibus venerit abditis.

*M. Thomas Sagittarius P. Cæs.
& Gr. Ling. Prof. Publ.*

V.

ἄριστων

*Ad Nobilissimum, felicis, promptiq; &
impigri in literis animi adolescentem*

JOHAN-GEORGIUM
à BRANDENSTEIN
Respondentem.

Ingenium præcepit Fabio haud placet. At mihi tardum,
Indocile & stupidum non placet ingenium.
Nec præcox dico, si quod maturuit anno
Sedecimo florens indole, quale tuum,
JOHANNES, agitat quem mens divina, GEORGI
BRANDENSTEINENSI stemmate progenite.
Maçte nova virtute, magisq; magisq; nitesce,
Et propero Themidos culmina scande pede.

E

In

In ludo Orlandi vix te fuit alter alumnus
Ocyus expediens, si qua notanda dabam.
Nec citò duntaxat, verum quoq; scribere tersè
Assvèsti palmam præripiens aliis.
Non igitur mirum, cursu quod præpete pergas
Impatiente ferens pectore quamq; moram.
Magna animo meditans homo nîl procrastinat unquam,
Quæq; hodiè haud fiunt, cras minus apta putat.
Nemo etenim Musis cunctando restituit rem,
Et valdè est dispar Martis & artis opus.
Impuber studiis Macedo dux institit ergò.
At juvenis bello deditus arma tulit.
Sic annis impuberibus te legibus armas,
Et vir consiliis utilis author eris.
Sæpe tuam ob promptam stupefacta est Lipsia linguam,
Præbebitq; aures inclyta Jena tibi.
Præsida FOMANNO Doctore, antistite juris
Dum thema propugnans fortiter arte tua.
Dum nec confuse, nec adhasè plurima verbis
Jam de præscriptis disseris, atq; moves.
Justo opponenti respondes ordine dignus
Patre atq; agnatis stemmate, dignus avis.

M. Michael Pharetratus Paro-
chus Weyrensis Eccl.

VI.

P Ar fratrum generis lumine nobile,
 Par fratrum ingenii nobilius bono,
 Pubescentibus annis
 Canas anticipans nives:

Quis vestros animat tandem animos De-
 Thyrso percutiens laudis idonea, (us,
 Et calcaria subdens
 Ad virtutis adorem!

Quis nondum anthereona ambit amabili
 Flos primus nebulâ, vixq; puertia
 Quos cesantibus annis
 Transcribit juvenum choro

Ætas: tam facinus grande capesere
 Ausos, E unomies in penitralia
 Ut sese penetrare

Nequaquam veriti sient!
 Cui non intimius cor occupet stupor,
 Cui non læva simul pectora palpitent,
 Dum vos spectat ephebos
 Prendentes cathedram Dices,

E 2

Fun-

Fundentesq; senum uocibus amulas
 Voces, totq; catos non sine gloria
 Sese opponere griphis!
 Uobis JENA loquentibus
 Ad Thuringiacum percelebris SALAM
 Adfurgit, venerans uos pueros-senes,
 Et spectacula mirans
 Exemplo sine præbita.
 Jam postquam satis est Eonomia datum
 Jenæ, Euganeo sistimini polo,
 Et cum moribus urbes
 Spectatum ite, rediteq;
 ITE, ITE, & Patrium pectus amabili
 Farctum letitiâ reddite. Vos de hinc
 Par æquabile fratrum
 Conatu referet pari.

Justus Zinzerling.



VII.

*Nobilissimo & Floridissimo
Juveni*

**Dn. Johanni Georg. à
Brandenstein.**

Est preciosa quidem fuscis quæ nascitur Indis
Gemma, nec ullius flagitat artis opem:
Hanc tamen Arabico solers si cinxeris auro,
Pabula luminibus multiplicata feret.
Par ratio Juvenis, patrium quem stemma venustat,
Quandoquidem generis luce nitere queat.
Porro vigoratæ si mentis acumine pollens,
Vicerit hinc annos, vicerit inde pares:
Illum præ reliquis, quos mollis inertia frangit,
Pervehet ad superos palma petita DEOS.
Huc etiam quondam vectêris JANE-GEORGI
Qui, licet haud annos octo decemq; teras,
Jam catus extricas tricosa volumina Juris.
Fac, quod agis, constans postmodo semper agas
Egit & hoc tuus ante parens, imitare parentem,
Clareat ut semper BRANDSTENIANA domus.

Benevolentia & amoris causa scrib.

Theodorus Sitzman Thuringus.

E 3

VIII.

VIII.


Rari animi, virtute pares & stemmate clari,
 Semina, dum modò jam, Patriæ virtutis, Ephebi
 Proditis & mentis celsæ spiratis odores,
 Et latii juris nodos, abstrusaq; senſa
 Excutitis graviter suggesta S A L A N A tenentes:
 Attoniti novitate viri, juvenesq; senesq;
 Suspiciunt linguaq; decus, legumq; profundam
 Notitiam, fructus mirantur & indolis altæ.
 Sat benè! congrator plausu ubere, textitè telam
 Inceptam, tanti & vestigia carpite patris,
 Quo duce Romulei sinuosa volumina Juris
 Pandite iudicio, decus & superaddite vestro
 Antiquo generi; nec enim nos omnia fallunt,
 Quin quondam ingenio sit magnus uterq; futurus.

Debitæ observantiæ causa

Deproperabat

ADAMUS HERR V. V.

F I N I S.



enigmatice q̄le in hac vita inveni.

pat. s̄ nō potat p̄fici in tm̄



Fragment of text from the reverse side of the page, including a red initial 'A'.

01 A 6518

ULB Halle 3
002 937 514




VD 17

Reise ✓

Fragment of text from the reverse side of the page, including a red initial 'A'.





I.

DISPUTATIO
DE
PRÆSCRIPTIS
VERBIS ET IN FACTUM
ACTIONIBUS

Quam
A. A.

Autoritate & consensu Magnifici & Amplis-
simi Jctorum ordinis in Illustri
Salanâ

PRÆSIDENTE
Amplissimo atq; Excellentissimo Viro,
DN. ORTOLPHO FOMANNO,
J. U. D. eximio, ac Professore celeberrimo, nec non
Dicafterij Provincialis Assessoris di-
gnissimo:

Publicè in Jctorum auditorio discutiendam
proponit

Ad diem 25. Jul.
JOHANN-GEORG von Brandenstein.

J E N Æ
Typis LIPPOLDIANIS, 1607.

